Universis presentes litteras inspecturis, Officialis curie subdecani Carnotensis salutem in Domino. Noverint universi quod in nostra presentia constituta Johanna dicta la Fromme
vendidit et nomine venditionis concessit ad usus et consuetudines Carnotenses Ragnaldo Colli Rubei civi Carnotensi quandam domum quam dicta Johanna habebat ut
dicebat sitam juxta pontem Sancti Hilarii moventem tam ex hereditate dicte Johanne quam ex acquiramento eiusdem Johanne in censiva Sancti Petri Carnotensis, pro dicta domo percipiendam
et possidendam a dicta Johanna, pro sexaginta et sex libris Carnotensibus de quibus dicta Johanna se tenuit coram nobis plenarie pro pagata in pecunia numerata, renuntians
in hoc facto exceptioni non numerate pecunie et sibi non tradite et non solute. Quam domum dicta Johanna quitavit predicto Rag. et eius heredibus sive successoribus
cum omni jure, dominio, proprietate et possessione que in dicta domo habebat vel habere poterat, predicta jus, dominium, proprietatem et possessionem in ipsum Rag.
penitus transferendo, promittens fide media quod contra venditionem et quitationem predictas per se vel per alium non veniet in futurum, nec in dicta domo
vendita ratione dotis vel aliquo alio jure reclamabit nec faciet per se vel per alium reclamari, immo dictam domum bona fide garandizabit et defendet
predicto Rag. et eius heredibus sive successoribus et omnibus aliis a dicto Ragnaldo in predicta domo causam habentibus et habituris contra omnes ad
usus et consuetudines Carnotenses. De qua domo dicta Johanna se desaisivit nomine venditionis in manum majoris Sancti Petri coram nobis, qui major ad
petitionem dicte Johanne dictum Ragnaldum de predicta domo saisivit et induxit in possessionem corporalem. In cujus rei testimonium et memoriam ad
petitionem dicte Johanne sigillum curie subdecani Carnotensis presentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini M° CC° quinquagesimo sexto
mense Novembri.

Lre dune maison pres le pont st hylaire 1256. en novembre

CS 2e

Vente d'une maison pres le pont de st hilaire par La fromnie a Colin le Rouge ou la Coustre de St Lore

1256

Mss

1057(3896)0 607

Lucas d'une maison —
près le pont St Hylaire
1256 en novembre

Caen

vente d'une maison
près le pont de St Hilaire
par La Fromme à
Robin le Rouge
en la Cousture de St Pere

Caen 1256

Misc. Mss
1957(96860) Lea